



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvta, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

296. feria 3. de Pace.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 2. Domin. 18. post Pentecost. 521
defendit contra percussorem maxillæ suæ
coram Pontifice.

Conf. 3. Actiones ejus. 1. Majores internè
æstimare, & suspicere. 2. Venientibus assur-
gere, caput aperire, inclinare, honoratiorem
locum dare, & consueta signa reverentiæ
exhibere. 3. Coram illis tacere, interrogare,
discere ab illis, non eos ut Discipulos, sed ut
Judices eorum, quæ docemur, respicere. 4.
Eorum sapienter dicta modestè commen-
dare, sententiâsque nostris utilitatibus an-
teferre. 5. Si ab eorum sententia disceden-
dum sit ob manifestam rationem, non nisi
reverenter id facere. 6. Si deliquerint, non
duriter increpare, sed ut Patres obsecrare, &
amicabiliter admonere. 7. Juvenum proca-
cium, qui Majores subsannant, & de illis de-
trahunt, stultitiam compescere, & eorum er-
rorem increpare.

MEDITATIO CCXCVI.

Feria 3. Domin. 18. post Pentecost.

De Pace.

Aspiciam Dominum I E S U M, velut ter-
ram promissionis, aut templum Salo-
monis, sine strepitu, plenum pacis, ad ean-
dem nos exhortantem: *Beati pacifici, quoniam*
Filij DEI vocabuntur. Petam hujus Beatitudinis
fieri particeps.

Conf.

322 *Feria 3. Dom. 18. post Pentecost.*

Conf. 1. Pacem esse voluntatis affectum, quò subijcitur Deo, & in eo, quod bonum est, consentimus hominibus. Pax est omnium unitiva, & consensùs operativa, vel ut ait Augustinus: Pacifici, qui motus animi rationi subijciunt, & hanc DEO.

Conf. 2. Incitamenta. 1. Nobilitas pacis, & suavitas. 2. Acceptissimum Sacrificium Domino spiritus pacatus, spiritus contribulatus meretur veniam, pacatus coronam gloriæ. 3. Pacati Deum habitatorem in se habent. In pace factus est locus ejus. 4. Pax cum Deo, proximo, propria conscientia à Christo nobis perfectissimè donata est.

Conf. 3. Actiones ejus: 1. divinis præceptis se subijcere, inspirationes sequi, & propriam arbitrium ad beneplacitum Dei inflectere. 2. In prosperis & aduersis æquè Dei voluntati consentire. 3. Peccata, quæ sunt seminarium discordiæ inter Deum & hominem, fugere, & sanctissimis Christi moribus assimilari. 4. Idem cum hominibus sapere, idem dicere, quibuscum vivimus, cõformari in cibo, potu, somno, vestibus, moribus, & operibus, quatenus arreptæ professioni non repugnant. 5. Ita vivere, ut nullus de nobis querelam habeat, nec justam ex nostris dictis, aut factis perturbationis causam accipiat. 6. Carnem spiritui subijcere, sensus, usus membro,

Feria 3. Domin. 18. post Pentecost. 523

membra, interiora, & exterior opera ex usu rationis disponere. 7. Cogitationes, & affectiones secundum præscriptum virtutis moderari. 8. Nosmet ipsos discutere, & aliorum dicta, & facta ad nos non pertinentia relinquere. 9. Radices omnis perturbationis, propriam voluntatem, spiritum libertatis, & placendi desiderium evellere. 10. Zizania, quæ sine damno tritici eradicari non possunt, patienter usque ad tempus messionis tolerare. 11. Bona nullo præcepto, nullâve lege debitâ, pro vitando proximi scandalo ad tempus intermittere. 12. Animi tranquillitatem ex aliorum dictis & factis pendentem non habere.

MEDITATIO CCXCVII.

Feria 4. Domin. 18. post Pentecost.

De Patientia.

Aspiciam Patientiam individuan Domini *1237* comitem, ut ait Tertull. lib de Patient. *Vbi DEVS, ibidem & alumna ejus, Patientia scilicet.* Petam eam à Domino meo discere.

Conf. 1. Patientia est virtus, quâ hujus seculi mala æquo animo sustinemus, sine immoderata turbatione, aut tristitia interiore, & sine admissione inhonesti, aut minus decori exterioris. Mala ejusmodi sunt, quæ-
cunque